DE PURPURA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS KOERTE

ASCANIENSIS.

OPPONENTIBUS

G. AGATS MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
ROB. GUENTHER MED. ET CHIR. DD.
AEM. BUNDSEN MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI.

TYPIS STARCKIANIS.

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO

CHRIST. KOERTE

NEC NON

FRATRI

AMICISSIMO, DILECTISSIMO

AEMILIO GLEIM

HASCE QUALESCUNQUE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE PURPURA.

Purpurae vocis apud scriptores medicos maxime varia est notio; alii enim scarlatinam (Junker, Schulz), alii miliaria rubra (Hoffmann, Wolff etc.), alii strophulum, lichenem aut urticariam, alii petechias febrium dictarum malignarum et ipsas febres malignas (Neucrantz[1]) hoc nomine significant. Nos quidem per purpuram morbum intelligimus hisce criteriis insignem:

Oriuntur apud hominem, dyscrasiae sanguinis magis minusve clara signa exhibentem, per cutem maculae, sanguinis e vasis effusi guttula formatae, indeque modo rubrae, purpureae, modo bruneae, lividae, aut fere nigrae, aut pallidae et subflavae, digito prementi non cedentes, variae magnitudinis et formae, plerumque rotundae, super cutis superficiem utplurimum non eminentes, indeque tactu non distinguendae, sensus expertes, fere semper discretae, saepe pulicum morsibus, deficiente tamen in cen-

[1]) cf. Neucrantz de purpura liber singularis, 1660, qui Thuani et doctissimi Sylvii exemplo febrem malignam sive pestilentialem, sive petechialem (typhus noster petechialis fuisse videtur) purpuram sive febrem purpuratam nominat, it aut non bene iis, qui de purpura nostra scripserunt, auctoribus medicis adnumerari possit, quod apud Bateman (vernacule edid. Blasius) p. 149 invenimus.

tro punctura, simillimae, quae post aliquod tempus colore mutato sanguinis effusi resorptione sine epidermidis desquamatione evanescunt. Saepius dum aliae pallescunt, aliae proveniunt, ita ut coloris diversi maculae uno eodemque tempore conspiciantur. Similes sanguinis extravasationes in membranis quoque mucosis saepissime inveniuntur, haemorrhagiis non raro atrocissimis junctae.

Vocantur plerumque hae maculae petechiae, sive peticulae, si minores sunt magisque rotundae; ecchymoses si latius patent formaque excellunt magis irregulari ac diffusa; vibices si radiorum figuras exhibent, vel tanquam virgis caesa cutis apparet.

Certe jam Hippocrati, Galeno, Celso aliisque medicorum proceribus tales petechiae notae fuerunt, quod multis probatur locis, a Sennert (lib. IV. de febr. c. 13.) Zacutus (lib. II. med. princ. hist. 3.) et Neucrantz (l. l. pag. 13 sq.) aliisque laudatis, sed nonnisi febrium acutarum comites, utpote petechiae symptomaticae, malignam in universum illarum notantes indolem. [1]) Hoc J. P. Frank [2]) quoque confirmat, qui, majori studio saeculo demum decimo quinto et sexto petechias descriptas esse et, ad morbi dignitatem evectas, singularem medicorum attentionem excitasse testatur. Tamen initio etiam saeculi antecedentis hoc inter illas petechias febrium comites, et eas, quae morbum proprium, nostram purpuram, constituunt discrimen nondum a medicis plurimis intellectum fuisse

---

[1]) Petechialis, sive peticularis a voce peste derivatur judice Neucrantio (libro I. pag. 11) haec habente: vulgus Italorum petechias vocat, quasi pestichias, quod febrem pestilentialem consequantur, aut quod sint diminutivum a peste.

[2]) cf. de cur. hom. morb. epit. lib. III, 70.

videtur. Nam J. Adam. Raymann [1]) de petechiarum mendacium historia earumque a sinceris differentia dissertationem edens, hanc petechiarum distinctionem nondum civitate donatam esse profitetur, quamquam duobus jam saeculis ante Amatus Lusitanus [2]) morbum maculosum apyreticum sub nomine „morbi pulicaris sine febre" descripserit, et paulo ante ipsum Raymann viri doctissimi Zeller, [3]) Petzold, Werlhof, Behrens, hanc rem pluribus exposuerint et Romberg, „petechias sine febre" ab illis symptomaticis satis accurate discreverit. Adeo novissimo tempore J. Pet. Frank hanc distinctionem rejiciens morbum proprium constituere purpuram negat contra omnium fere scriptorum medicorum sententias.

Purpurae nomen huic morbo petechiali primum tributum esse videtur saeculo praeterito a Riverius, Diemerbroeck, Sauvages aliisque, inter quos praecipue nominandus est Willan. Sed alii scriptores aliis nominibus morbum nostrum notarunt, ut Angli Adair et Bateman, qui dissertationes de purpura egregias conscripserunt, quas perlegere me non potuisse vehementer doleo, et haemorrhoeae petechialis nomen ei tribuerunt, certe non rejiciendum, si ad haemorrhagias vere pertinere mihi videretur purpura. Amatus Lusitanus „morbum pulicarem sine febre" ut jam supra adnotavi, Pezold et Zwinger „maculas nigras sine febre," Cusson „purpuram apyretam," Raymann „petechias men-

---

1) Acta phys. med. Acad. nat. Cur. Vol. IX. Observ. XXI. pag. 87 sq.

2) cf. Curat. med. cent. III. obs. 70.

3) v. Ephem. Nat. Cur. Dec. III. Ann. IX. et X. obs. 108.

daces," Werlhof, qui primus fere purpuram haemorrhagicam diligentius et accuratius descripsit medicisque in Commerc. liter. Norimberg. a. 1738 hebd. I. et II. penitius pervestigandam commendavit, „morbum maculosum haemmorrhagicum" nominavit, unde postea a plurimis haec purpurae species haemorrhagica nomine „morbi maculosi Werlhofii" designata est.[1]) Alibert et Schoenlein Peliosin eam nominant, Rayer Hémorrhagie souscutanée, Pierquin Hémacelinose, Angli Scurvy, Nostrates Blutfleckenkrankheit, aut ineptissime Landscorbut.

At non solum de nomine scriptores medici inter se discrepabant, verum etiam de totius morbi natura plane diversas edebant sententias, ita ut, morbum proprium constituere purpuram, prorsus neget vir celeberrimus J. P. Frank, qui symptomaticas tantum esse petechias, morbi alius comites, censet. Plenk ad maculas pertinere credit purpuram, Ill. Willan de morbis cutaneis tam egregie meritus exanthematibus eam adnumerat, quod licet immerito factum intellexisset Bateman, tamen ad aliam morborum classem non retulit nimia, ut videtur, erga praeceptorem maxime venerandum usus pietate. Biett nomen purpurae retinens certum in systemate suo morborum cutaneorum ei non assignat locum, sed una cum Syphiloidibus, Lupo, Pellagra aliisque describit, utpote morbis, qui classibus suis interponi non bene possint. Rayer ad exanthemata purpuram non pertinere ratus, haemorrhagiam esse credit, et dictis „Hé-

---

[1]) Ipse quidem Werlhof hoc nomine etiam purpuram simplicem complexus esse videtur, quum verba faciat de casibus hujus morbi, in quibus desint maculis haemorrhagiae, et vice versa, in quibus solae haemorrhagiae sine maculis oriantur. cf. Werlhofii oper. ed. Wichmannus pars II. p. 540 annot.

morrhagies souscutanées" adnumerat, id quod et Adair et Bateman sensisse videntur, quum haemorrhoeam petechialem, ut jam supra retuli, morbum nostrum vocarint. Hanc sententiam Blasius quoque in editione sua operis Batemaniani [1]) profitetur, atque ex haemorrhagiarum diversa natura, aut activa, aut passiva, varias purpurae species et rationes interpretari studet. Sed in ipso sanguine magnum est momentum, quod huic sententiae repugnat. In haemorrhagiis enim sanguinis mixtio non est alienata, in hominum vero purpura affectorum sanguine varias invenimus mutationes, quibus, ut ad singularem cum aliis morbis classem referret purpuram, adductus est vir praeclarus Schoenlein. Consentit cum hoc discipulus ingeniosissimus, qui novissimo tempore prorsus novam morborum cutaneorum perspiciendorum nobis proposuit rationem. Fuchs dico, qui, quos Schoenlein Cyanosium nomine complexus est morbos, eosdem fere in systemate suo nomine Haematochrosium comprehendit. [2])

Horum virorum sententiam sequi mihi quoque placet, quum rei naturae maxime consentanea videatur, ac certis gravibusque firmetur argumentis.

Pertinent vero ad hanc singularem morborum familiam praeter purpuram cyanosis, sive morbus coeruleus, et cardiaca et pulmonalis (hanc „pneumatelectasin" Fuchs vocat), scorbutus, sclerosis et chlorosis, atque communia iis symptomata fere haec sunt:

---

[1]) cf. Bateman's Hautkrankheiten, übersetzt von Calmann, herausgeg. von E. Blasius. II. Ausgabe. Leipzig 1841. p. 144.

[2]) cf. Fuchs: die krankhaften Veränderungen der Haut und ihrer Anhänge. Göttingen 1840.

1) Principium horum morborum positum esse videtur in sanguinis decompositione; hic enim e vena missus multo saturiorem normali ostendit colorem, magis e bruneo-atrum, interdum coeruleum, rarius subrubrum, tanquam sanguis arteriosus cum aqua mixtus sit et imminutum pondus specificum; liquidior est, facultas coagulandi multo minor, ita ut saepe ne placenta quidem sanguinis spontanea coagulatione formetur, sed massa tantum dissoluta; si formatur sanguinis placenta, mollior est, minus spissa, parum fibrinae continens. Magna vero est moles seri, cruore soluto tincti, indeque fusci. Facillime putrescit sanguis. Analysis chemica minorem fibrinae et albuminis quantitatem, disquisitio microscopica minorem globulorum sanguinis numerum, praecipue in chlorosi, docet.

Hanc sanguinis in purpura depravationem, quod mirum, vir praeclarus Pet. Frank[1]) omni virium contentione refutare studet atque magis solidorum in ipsum infirmius reagentium culpa, quam vitio proprio diffluere sanguinem, et, ut vasis difficilius coërceri queat, effici dicit. Nihilominus vero morbi causis, invito animo, ipsam lympham acri latente inductam tenuitatem interponere cogitur. Ac certe disquisitionibus virorum doctissimorum Werlhof, Behrens[2]), Johnston, Duncan[3]), Biett[4]), Schoenlein, Fuchs haec sanguinis decompo-

---

[1]) cf. l. l. pag. 75 sq.

[2]) cf. Werlhofii opera I. pars II. 624. annot. et pag. 630.

[3]) Rayer: Traité theorique et pratique des maladies de la peau; vernacule a Stannio edit. pars III. pag. 163 sq.

[4]) cf. Cazenave et Schedel: Abrégé pratique des maladies de la peau d'après M. Biett. edit. III. pag. 507 sq.

sitio satis confirmata est, quamvis Aaskow in uno casu eam se invenisse negat.

2) Tali sanguinis conditione facillime depositiones cruentae variis in organis efficiuntur, plerumque vero in cute, et quidem macularum forma, aut extravasato ortarum, tumque compressione non evanescentium, aut congestione sanguinis, cujus tardissima est circulatio. Sunt vero hae maculae fere semper doloris expertes, atque sola sanguinis resorptione colorem mutantes evanescunt; in scorbuto tantum in ulcera transeundi singularem ostendunt proclivitatem. Sed etiam in aliis, adeo fere in omnibus, organis tales cruentae depositiones inventae sunt. Ac si non oriuntur maculae illae, saepissime totius corporis color coeruleus apparet.

3) Hac sanguinis alienatione omnes fere corporis functiones turbari ac mutari, nemini mirum videbitur, et re vera systematis chylopoetici functiones, tam qualitate quam quantitate commutatas invenimus: imminutam ciborum appetentiam, et res alienas, ad comedendum non aptas, edendi cupiditatem; neque minus alia signa dyspepsiae. Respiratio saepissime est difficilis, brevis, accelerata, atque accuratior aëris exspirati disquisitio fortasse singulares abnormitates nobis offeret. Nervorum functio est depressa, animus morosus, languidus; magna musculorum debilitas labore minimo inducitur, non raro syncope oritur. Corporis calor et quod ad thermometrum et quod ad sensum imminutus esse solet; cutis color, ubi maculis non tegitur, pallidus, interdum ad coeruleum vergens invenitur, et tota corporis fabrica et functio magis minusve alienata.

Hanc igitur ad familiam purpura quoque numeranda mihi videtur, ducibus Schoenlein et Fuchs, quae quo nomine designetur, certe levioris est momenti. In verbis enim simus faciles, nisi nimia forte inde oriatur rerum perturbatio. Si vero non omnia hujus familiae notata symptomata semper in omnibus purpurae speciebus clarius ápparent, certe eam ob causam judicare non licebit, ad hanc morborum familiam non pertinere pupuram. Saepe leviores tantum observantur ejusmodi affectiones, quas signis non tam gravibus et luculentis prodi, cuique patebit.

PURPURAE DIVISIO ET DECURSUS.

Primum segregandae mihi esse videntur a nostra purpura petechiae illae, quae febres exanthematicas, inflammatorias, malignas comitantes, ex uno eodemque fonte licet derivandae sint ac purpura, tamen morbi symptoma tantum sistunt, non morbi caput constituunt. Purpuram vero morbum per se constituere, jam constare inter medicos videtur. Mittamus igitur symptomaticas illas petechias, ac de nostra tantum purpura agamus, cujus ab illis discrimen optime jam J. A. Raymann in libro laudato exposuit.

Plèrumque secundum Willan et Bateman distributionem quinque purpurae species distinguuntur: 1) purpura simplex, 2) p. haemorrhagica, 3) p. urticans, 4) p. senilis, 5) p. contagiosa i. e. purpura illa symptomatica febrium malignarum. Qua rejecta, Biett duas tantum purpurae species statuit, p. simplicem et haemorrhagicam, quum p. urticaus nihil nobis offerat, quod singularis speciei esse videatur, et p. senilis non alius sit morbus, nisi

purpura simplex, apud senes exorta. Ac certe propria et singularis species mihi quoque p. urticans non esse videtur, quum ad simplicis formam post duos quatuorve dies redeant maculae illae purpureae, urticariam simulantes, neque cum sensu illo prurienti urticariae, quod Rayer contendit, maculae hae, pomphorum instar, proveniant, secundum Willan et Bateman observationes, quas equidem uno, quem vidi, casu confirmatas inveni. Varietates igitur simplicis et purpura urticans et senilis esse videntur, quibus Rayer et Fuchs etiam purpuram cacheticam adnumerant. Rayer vero distinctione purpurae febrilis et afebrilis minus rem tetigisse videtur, quum una eademque purpurae species plerumque quidem sine febre oriatur et incedat, variis autem causis febrilis fieri possit. Itaque duas tantum statuamus purpurae species praecipue pro majore minoreve macularum super cutem solam aut supra alia quoque organa extensione, et pro haemorrhagiae praesentia vel defectu,

1) purpuram simplicem,
2) purpuram haemorrhagicam.

PURPURA SIMPLEX.

Synonyma: Phoenigmus petechialis (Sauvages); Porphyra simplex var. pulicosa (Mason-Good); Petechiae sine febre (Auct. var.); Petechial Scurvy (Angli); Pourpre, Pétéchies sans fièvre (Galli); Fieberlose Petechien, sive Peteschen (Germani).

Tempore plerumque nocturno in cute maculae proveniunt primum rubrae, mox purpureae vel coeruleae, magnitudine lentis, interdum majores ecchymoses inter peticulas, digito prementi non cedentes, super cutem nun-

quam eminentes, pulicum ictibus simillimae, quae post septem decemve dies pallescere solent, subflavae fiunt, lentiginum fere similes, et post duas tres, quatuorve septimanas fere semper prorsus evanescunt. Sed non ita raro eruptionibus singulis vicissim se excipientibus plures menses adeoque annos persistunt, et tum macularum coloris e fusco-atro ad subflavum maxima est varietas. Valetudo interdum fere integra est, nisi debilitas quaedam vel languor antecedat; plerumque vero hanc ad debilitatem alia quoque valetudinis affectae signa adveniunt et prodromica et perstantia. Jam diutius totius corporis color antecedit pallidior, non raro dyspeptae affectiones, lingua muco subflavo obducta, alvi aut retentio aut fluxus nimius, imminuta ciborum appetentia. Haec signa aut una cum maculis evanescunt breve post tempus, aut diutius manent et novarum eruptionum suspicionem movent.

Crura praecipue amare videntur hae petechiae, nam nisi haec sola, tamen primae fere semper maculae ea obtinere solent. Sed etiam abdomen, saepissime pectus et brachiorum latera interna petechiis tentantur, adeoque in collo et facie animadvertuntur. Nunquam vero membranas mucosas in purpura simplice maculae obtegunt, neque haemorrhagiae excitantur, qua re maxime haec species differt ab haemorrhagica.

Quae sit natura harum macularum, infra pluribus exponetur.

In varietate illa, quam urticantem dicunt, maculae primum ortae paulo rubriores sunt, super cutem pomphorum instar elatae, sed deest pomphorum urticariae propriorum pruritus, uti jam supra dixi, atque post paucos dies in aequas maculas hi pomphi transeunt. Quod Ra-

yer contendit, adesse hunc pruritum, inde fortasse factum mihi esse videtur, quod pluries post veram urticariam animadversa est nostra purpura [1]); unde facile oriri potuit haec rerum perturbatio.

In purpura senili, majores plerumque animadvertuntur maculae et obscuriores, ecchymoses dictae, quum senibus et hominibus valde cachecticis omnium membranarum minor sit vigor et virtus sanguinis impetui bene resistendi. Atque tardius sanguinem e vasis effusum resorberi sub tali rerum conditione, vix mirum alicui videbitur.

Singularem purpurae simplicis formam hieme praeterita in Universitatis Policlinico Medico-Chirurgico, sub auspiciis Cel. Truestedt florente, observandi mihi data est occasio, quam, quum similem nullibi descriptam invenerim, paucis hic exponere juvat.

Puer viginti sex mensium, habitu scrophuloso quam maxime insignis, quum decem menses natus a matris uberibus arceretur et nutrimentum aliud, sed uti parentes dicunt, blandum acciperet, subito per utrumque crus, praecipue vero per dextrum, permultis obtegitur maculis subrubris, partim coeruleis, acus capituli magnitudinem non superantibus et pulicum morsibus inveteratis quam simillimis, digito prementi nec cedentibus neque colorem mutantibus, quae retis, pedibus impressi, accuratissime produnt figuram, ac tam confertae apparent, ut continuas formare videantur lineas. Paullatim etiam super femora extenditur haec eruptio, sed ibi maculae non tam pellucidae sunt, quamvis retis figura adeo usque ad crassum pueri ventrem perspici possit, venis coeruleis in insterstitiis

---

[1]) cf. Rayer l. l. III. pag. 152.

macularum pellucentibus. Quod vero maxime mirum mihi videtur, per sedecim menses nunquam colorem mutasse, neque evanuisse et rursus propullulasse dicuntur maculae. Ac certe equidem per sex menses, per quos observavi puerum, nullam fere earum mutationem animadverti, nisi quod postremo tempore remediis roborantibus in usum vocatis, pallescere inceperint.

Matre sana, robusta natus est puerulus noster; pater non minus robusti habitus, ex quo tempore uxorem duxit, ad haemoptysin inclinasse, antea spasmis epilepticis interdum vexatus esse narratur, quibus etiam puerum ipsum, inde a vitae initio debilem, non raro affectum fuisse, mater affirmat. Semper systematis chylopoëtici turbata erat functio, alvi modo fluxus, tumque faeces lutulentae, modo obstipatio; ciborum modo nulla fere, modo maxima appetentia; glandulae ubique induratae et justo majores inveniuntur, mesaraicas adeo manu percipere licet, omnia denique scrophulosae dyscrasiae manifesta apparent signa. Neque entozoa desunt, nam paulo antequam mater auxilium nostrum petiit, Ascaris lumbricoïdes octo fere pollicum longitudine corpus deseruisse fertur. Magnam virium debilitatem, praecipue ante macularum eruptionem, parentes observabant, ac tantam quidem remanentem, ut duorum annorum puer pedibus infirmissimis incedere non valeret, sed manibus pedibusque nixus per cubiculum reperet. Remediis roborantibus, nimirum Tn. Rhei comp. cum Elix. Aurant. comp. porrectis solutione Ol. Calami aeth. in spir. vin. rft. ad lavandum, nec non balneis e farre tosto et pedibus, vitulinis diutius adhibitis, paullulum quum palluerint maculae, vix autem pueri constitutio melior evaserit, aliis remediis antiscrophulosis et an-

thelminthicis totam pueri constitutionem corrigendi periculum faciamus, qua ad meliorem conditionem restituta, fore ut sponte decedant maculae, speramus. Brevi autem tempore hunc finem posse impetrari, jure dubitem, praecipue quum pueruli domicilium tam longe a nostro distet, ut et curatio ejus et inspectio valde difficilis sit. Hoc etiam addere juvat, varicellis novissimo tempore apud puerum supra totum corpus, exceptis extremitatibus inferioribus, exortis purpuram minime mutatam esse. Singulari huic purpurae formae si quis proprium nomen tribuere velit, certe quod praeceptor maxime colendus Cel. Truestedt proposuit, purpurae perstantis, vel retiformis aptissimum nomen erit. At ne plura, quam necesse sit, fingamus nomina, ipse vir praeclarus optime monuit.

2. PURPURA HAEMORRHAGICA.

Synonyma: Morbus maculosus (haemorrhagicus) Werlhofii [1]; Stomacace universalis (Sauvages); Porphyra haemorrhagica (Mason - Good); Hémacélinose (Rayer); Hémorrhagie pétéchiale (Galli); Land-Scurvy (Angli); Peliosis (Alibert, Schoenlein); Werlhof'sche Blutfleckenkrankheit, pessime Landscorbut (Germani).

Hac in specie, multo graviori, maculae majores, coloris magis coerulei, irregulares plerumque et contusionibus fere similes, intermixtis interdum petechiis, primo in cruribus oriri solent, tum per incerta intervalla in femoribus, abdomine, pectore, brachiis, collo; ipsique, quod fieri negant nonnulli scriptores, faciei non parcunt [2].

---

[1]) cf. Werlhofii op. l. II. 617 sq. et III. 748

[2]) cf. Biett apud Cazenave et Schedel l. l. pag. 504. cf. H. v. d. Bank dissertatio de purp. haemorrh. pag. 20.

Plerumque super cutem non eminent, tamen etiam epidermide sublata, quasi bullas sanguinolentas oriri observarunt Reil[1]), Wolff[2]), Biett[3]), Willan et Bateman[4]). Levissima interdum compressione, exempli gratia medici pulsum explorantis manu, oriuntur. Quod vero maximum inter purpuram simplicem et haemorrhagicam statuit discrimen: existunt simul tales maculae atro-purpureae per membranas mucosas oris, faucium, narium, totius tractus intestinalis, organorum interdum respirationi inservientium et ad oculos. Conspiciuntur post mortem in omnibus quoque membranis serosis, in peritonaeo, pleura, pericardio et in meningibus; adeoque in ipsa cerebri substantia, in tunica ossium medullari et in omnibus fere organis internis maculae et ecchymomata reperta sunt[5]).

Simul has macularum eruptiones aut sequuntur, aut comitantur, aut antecedunt haemorrhagiae, interdum atrocissimae adeoque lethales; plerumque e naribus, ore et faucibus sanguis aut proruit, aut lente exstillat; interdum e ventriculo vomitu ejicitur, rarius e tractu intestinali per anum. Pluries etiam ex organis uropoëticis effluens observatus est, et si deerat haematuria, interdum calori expositam aut addito acido nitrico urinam ad coagulationem proclivem invenerunt, quae indoles post haemorrha-

---

[1]) cf. Memorab. Clin. Vol. I.

[2]) cf. Acta Acad. Nat. Cur. VII. observ. 131.

[3]) cf. l. l.

[4]) cf. l. l. pag. 135.

[5]) cf. H. v. d. Bank l. l. et Journ. comp. des scienc. med. XXXVI pag. 434. Biett l. l. pag. 508 sq. et Bateman l. l.

gias evanuit[1]). Itaque albumen, in sanguine ipso deficiens, in urina fuisse videtur. Neque ita raro ex utero et pulmonibus scaturientem, adeo ex omnibus fere organis internis effluentem animadverterunt viri docti[2]).

Sanguis tali modo amissus multo fluidior, non facile coagulatur initio obscurior esse solet, coloris magis brunei, vel coerulei; si magna sanguinis copia effluxit, magis pallidus fit et serosus, ita ut lintea vix tingat[3]), vel interdum sanguinis arteriosi cum aqua mixti speciem prae se ferat.

His gravioribus per longius breviusve tempus leviores praecedere solent affectiones, quae ex dyscrasia sanguinis mihi ortae esse videntur, ut languor singularis, animi morositas, dolores artuum, oppressio abdominis, imminuta ciborum appetentia, aliaquae perturbatae valetudinis signa, quae jam supra attuli. Interdum vero, nullo aegritudinis signo praegresso, oriuntur subitaneae haemorrhagiae, cum macularum eruptione, apud homines, qui antea prorsus sani videbantur[4]).

Semper vero sequitur haemorrhagias magna virium prostratio, animi tristitia, laboris fastidium; pulsus fit parvus, vacuus facilis compressu, debilis, interdum frequentissimus; rarius plenus ac fortis fuisse fertur; sensibilitas magna, facies magis minusve pallida, syncope, aliaque

---

[1]) cf. Rayer l. l. pag. 156.

[2]) cf. Bateman l. l.

[3]) cf. Behrens in Werlhofii oper. med. II. 630.

[4]) cf. Raymann in Acta Acad. Nat. Cur. IX, observ. XXI. pag. 90 sq. et Batemann l. l. pag. 138 sq. ubi quos describunt casus Dolaeus, Zwinger, Lister, Horst, Werlhof, Wichmann aliique notati sunt.

apparent ex sanguinis defectu symptomata. Febris modo observatur, modo desideratur; non raro per abdomen sentiuntur dolores et oppressio quaedam vehementissima, e congestionibus, ut videtur, exorta. Pluries ab Anglis adnotantur lienis affectiones, tum a congestione, tum ab inflammatione pendentes; lien tumescit, ita ut fere usque ad spinam posteriorem superiorem ossis ilium digito eum perceptum referat Bateman; unde praecipue vomitus cruentos et epistaxin oriri surrexit opinio, antiquis jam nota medicis [1]). Etiam hepatis intumescentias accusarunt, semelque apud puerum, hoc morbo peremtum thymi degenerationem post mortem invenit Bateman.

Plerumque curatione apta morbus mox fugatur, haemorrhagiae his terve repetitae cessant, et post septem decemve dies maculae pallescunt, sensimque omnino evanescunt, integra aegroti valetudine post ter quaterve septimanas restituta; rarius per plures menses protrahitur. — Sed non semper tam prosperum animadvertimus morbi exitum. Talis enim rerum status si longius per tempus perdurat, totum corpus fit pallidum, fere cachecticum, debilitas inedia et repetitis haemorrhagiis augetur, alvi modo obstipatio modo fluxus, lingua obtecta, pulsus frequentior, interdum intermittens, neque raro febris remittens paullatim fit continua et putrida; sitis vehemens, lingua sicca, dura extremitates frigidae, dum truncum calor vexat mordax, urina soluta; oriuntur deliria, carphologia, subsultus tendinum et morte demum finitur morbus.

Vehementioribus etiam haemorrhagiis interdum vita extinguitur neque minus transita morbi in hydropem.

---

[1]) cf. Celsus de med. lib. II. cap. VII.

CADAVERUM SECTIO.

Has nobis offert mutationes: petechiae et ecchymoses vivo homine exortae agone non disparent, sed eaedem remanent; ortae sunt sanguine aut sub epidermidem, aut in cutem ipsam, aut in telam subcutaneam effuso, coeruleo, dissoluto. Facile lotione adhibita amoventur, neque apparet vasorum ramificatio. Iisdem sanguinis extravasationibus telas mucosas, non raro etiam serosas, adeo parenchyma ipsum omnium fere organorum, obtecta inveniri, jam supra adnotavimus et exempla a permultis viris doctis observata allegavimus. Organa, e quibus haemorrhagiae ortae erant, atro sanguine abundare solent, non raro coagulato; sed alia, versus quae sanguinis impetus non erat directus, apparent exsanguia. Musculi igitur pallidi, laxiores; cor ipsum mollius et languidum aut sanguine prorsus caret aut dissoluto inpletum est cruore; endocardium et interna vasorum, praecipue venarum, membrana coeruleum ostendunt colorem. Hepar, renes, lien aut atro sanguine impleta aut pallidiora, exsanguia, friabilia non raro hypertrophica inveniuntur, neque raro in abdominis et thoracis cavis fluidum serosum, turbidum; saepissime glandularum mesaraicarum induratio animadvertitur.

Invenit Raymannus in pueri morbo maculoso Werlhofii mortui cadavere ventriculum valde extenuatum, lienem lividum et atro cruore turgidum, simulque ita friabilem, ut levi solveretur contactu; hepar exsangue et pallidum, intestina rubentia passim (maculis scilicet purpureis) rectum vero lividum; additque ex jejuno se lumbricum duas spithamas longum protraxisse, quem medicus ordinarius ceu necis patratorem non erubuerit accusare.

Aeque in purpurae simplicis casu, quem supra descripsi, entozoa puerulum vexant, quod vix mirum videri poterit, quum tanta hoc in morbo sit dyscrasia.

DIAGNOSIS PURPURAE.

Purpura simplex confundi potest cum pulicum morsibus, sed recentibus his est areola rosea, subrubra, digito prementi cedens, et in omnibus animadvertitur punctura illa pulicis proboscide facta; saepe etiam maculae cruentae linteorum ingratos harum bestiolarum produnt impetus. Cum lentiginibus non facile confundi potest purpura, facilius autem cum maculis post ecthyma syphiliticum remanentibus. Pustulas vero antecedentes, totum affectionis decursum et colorem cupreum si respexeris, certe non difficilis erit utriusque morbi distinctio. Eadem fere ratione ab ecchymosibus vi mechanica productis discernuntur facillime purpurae majores maculae.

Difficilior autem est purpurae haemorrhagicae a scorbuto distinctio, quum hic morbus, qui ad eandem cum purpura familiam pertinere videtur, ita huic similis sit, ut nonnulli adeo nihil differentiae interesse inter hanc et illum opinati sint. Si vero singularium gingivarum et dentium ab initio scorbuti affectionum, nec non foetoris et artuum plerumque valde dolentium rationem habueris, atque in sequentibus scorbuti stadiis articulorum intumescentias, dentium jacturam et magnam macularum in ulcera abeundi proclivitatem respexeris, plerumque certam diagnosin obtinebis.

Schoenlein peliosin rheumaticam proponit, purpurae haemorrhagicae similem, sed symptomatibus rheuma-

tismi articularis simul obviis, macularum subrubro, luteo fere colore, quae digito prementi et calori paullulum cedunt, frigore redeunt, in membranis mucosis desunt, nec non sequente cutis desquamatione, facile ab hac discernitur [1].

Cum typhi denique exanthemate, quamquam dissimillimo, saepe confusam esse purpuram a scriptoribus veteribus, indeque magnam rerum perturbationem ortam, constat. Gravissimis vero typhi petechialis ceteris symptomatibus, indole exanthematis, et deficiente sanguinis extravasatione utriusque morbi diagnosis certe facillima redditur, atque commutatio nostro tempore vix admittitur.

Quod attinet ad

AETIOLOGIAM

certe nondum omnino innotuerunt hujus morbi causae. Duplicem earum esse rationem, jam diu observabant viri docti. Oriri enim videbant purpuram non modo apud homines variis rebus, cibo tenuiore, parum nutriente, domicilio humido, animi pathematibus et sollicitudinibus, aut morbis gravioribus, ut morbillis, variolis, febribus intermittentibus, puerperio valde debilitatos, praecipue apud infantes et mulieres corpore debili et habitu scrophuloso insignes; sed etiam apud homines nulla rerum inopia pressos, robustos, plethoricos, ubi nulla debilitatis aderant vestigia. Itaque, quam antea accusabant, debilitatem non solam esse causam intelligimus, neque pendere ex ea

---

[1]) Conradi hunc morbum epidemice Heidelbergae anno 1820 grassantem pluribus descripsit.

tantum potest causa proxima macularum et haemorrhagiae. Quaeritur ideo, qualis haec sit.

Primi, qui accuratius de purpura scripserunt, autores, Werlhof et amicissimus ei Behrens, originem ejus ex quadam humorum depravatione deduxisse videntur, quum Behrens [1]) doctissimi Camerarii et Zelleri auctoritate nixus, de vinclorum sanguinis vitalium dissolutione verba faciat; idemque Werlhof fere dicat.

Auctores serioris aetatis simul vasorum accusarunt vitium. Qui vero rhexin vasorum statuebant, certe falsum protulerunt judicium, nulla re confirmatum, quod cadaverum sectione refutatur. Harless nimiam adesse credit impletionem minimarum venarum infra et prope cutis superficiem sitarum; Reil paralysin quandam arteriarum extremarum, i. e. vasorum capillarium, Behrend peculiarem cutis relaxationem. At unde repetendum sit hoc vasorum vel cutis vitium sanguinisque depravatio, non exponunt viri doctissimi.

Quae igitur rationes quum non sufficere aliis viderentur, rem accuratius sectionibus institutis indagare studebant; praecipue Angli, quum non raro dolore affecta, interdum justo majora et sanguine abundentia vidissent abdominis viscera, venaesectione vero instituta, aut purgantibus datis, aut ipsa haemorrhagia exorta evanuisse interdum has affectiones una cum maculis animadvertissent: sanguinis congestiones ad haec organa, vel inflammationes eorum causam esse morbi proximam, opinabantur. Sed non semper adsunt talia congestionis vel inflammationis signa, et tantum abest, ut omnibus in casibus

---

[1]) cf. Werlhof op. med. II. pag. 624 et 540 annot.

talis medendi ratio prosit, ut multis aegrotis mortem certe inferat, si quis apud debilitatos ea uti velit. Itaque, quos narrat Bateman [1]), casus complicati potius lienis et hepatis morbi cum nostra purpura fuisse videntur, ex uno fortasse cum ea fonte derivandi. Ac favere tales congestiones purpurae origini minime nego, probus enim quominus sanguis formetur impediunt, et liberam ejus circulationem prohibent. [2]) Summa vero purpurae causa proxima in sanguinis depravatione, quam multorum virorum disquisitionibus inventam esse, jam supra dixi, latere mihi videtur, quamvis libenter concedam, etiam ab altera parte dispositionem quandam adesse, qua vasa capillaria ad profusas exsudationes et haemorrhagias inde ortas magis fiant propensa. Hanc dispositionem Schoenlein, haemorrhophiliam vocat et proprium morbum, plerumque hereditarium proponit, non ita raro observatum [3]). Ad tales homines, nostratibus vulgo „Bluter" dictos, juvenis ille numerandus mihi videtur, quem, ad pilae lusum baculos portare solitum, quo loco vel minimam acceperit plagam, purpureis maculis tectum esse et subito pneumorrhagia orta decessisse doctissimo Bateman amicus Duncan narravit. [4])

---

[1]) cf. Bateman l. l. pag. 142 sq.

[2]) Biett (cf. l. l. pag. 508) apud gypsoplasten subito purpuram oriri videbat, qui praeclare omnia constitutionis venosae et impeditae sanguinis circulationis signa prae se ferebat.

[3]) cf. Nasse in Horn's Archiv 1820. III. Heft.
et Ripp's Untersuchungen in Betreff der Anlagen zu tödtlichen Blutungen. Frankfurt 1825.

[4]) cf. Bateman l. l. p. 139.

Cujusnam autem naturae haec ad haemorrhagias dispositio sit, certe difficile erit diremtu, atque pluribus demum disquisitionibus eruendum. Fortasse vasorum parietes teneriores resistentia normali et vi illa contractili magis carent. Si vero tali vasorum constitutione sanguinis etiam depravatio et dissolutio nascitur, facillime et extravasationes et haemorrhagias exoriri oportebit.

PROGNOSIN

purpura simplex certe optimam largitur, etiamsi ea affecti sunt infirmissimi, dummodo non tanta rerum inopia premantur, ut melior vivendi ratio institui nullo modo possit. Post brevius longiusve tempus corporis viribus roboratis sponte evanescere solent maculae.

Minus bona prognosis purpurae est haemorrhagicae, licet enim initio interdum leviorem eam habeamus, brevi post fortasse haemorrhagiae atrocissimae aegroti vitae periculum minitantur et prognosin dubiam reddunt. In universum pendere videtur prognosis:

1) ab aetate et constitutione affecti.
2) a tempore, quo persistunt haemorrhagiae, earumque majore vel minore vehementia et frequentia.
3) ab organorum internorum sanguinem mittentium dignitate.
4) a sanguinis missi indole.
5) a febris praesentia et natura, nam febris putrida huic morbo associata malae, si non pessimae est notae.
6) a complicationibus cum aliis morbis.

Pulsus parvus, durus, tensus, frequentior redituras indicare fertur haemorrhagias; ecchymoses circa nares,

epistaxin vehementiorem, oppressionis et pulsationis in regione epigastrica sensus haematemesin, pectoris oppressio et tussis haemorrhagiam pulmonalem portendere dicuntur. Proinde in auguranda prognosi paulo cautiores simus!

Restat denique ut nonnulla addam de

CURATIONE.

Purpura simplex remediis levioribus cedere solet, ad morbi naturam adaptatis, roborantibus et sanguinis dissolutionem coercentibus. Gastricae vero quum non raro adsint initio complicationes, saepe emetico aut purgantibus mitioribus curationem incipiamus, quae postea acidula remedia et ipsa acida, si opus est aethereis juncta, subsequantur. Plurimum autem valere videntur remedia diaetetica: aegrotus aëre quam maxime puro, sicco, magis calido fruatur, alimentis et potu blande nutrientibus et acidulis; praecipue herbae e cruciferarum familia maximas hoc in morbo sibi vindicarunt laudes. Ab omnibus vero rebus obnoxiis diligentissime caveatur.

Idem fere valet de purpura haemorrhagica. Werlhof admodum acida cum remediis tonicis amaris laudavit, praecipue cortices chinae et cascarillae cum acido sulphurico. Angli vero, quum non raro purpuram apud homines robustos, validos, plethoricos ortam his remediis frustra impugnassent, e contrario curam magis antiphlogisticam instituere conati, bonum saepius inde animadverterunt eventum. Parry venaesectionem praecipue, pro rerum conditione adeo repetitam, Harty purgantia, imo drastica, summis laudibus extulerunt. Ac certe non una

semper eademque curatio adhibenda erit, quum maxime varia sit morbi natura. Apud homines cachecticos, debilitatos plurimum valébit laudata a Werlhof curatio, cui diaeta consentanea adjungatur, atque, si opus est, methodus antigastrica praemittatur. Ubi contraria morbi est indoles, methodus, ut ita dicam, Anglica suum obtinere videtur locum. Sed venae sectio et hirudinum applicatio maxima egere videntur circumspectione, quum ex minima interdum cutis vulneratione haemorrhagiae non coercendae oriantur. Drastica remedia acriora vix adhibuerim; irritatio enim inde orta facillime nova excitare poterit sanguinis profluvia, quae cohibere non semper penes medicum est. Porrigantur potius mitiora purgantia, Tamarindi, Cremor tart. c. Rheo et talia, quibus succedant acida, juncta cum remediis tonicis vel aethereis. Ac plurimum hic quoque valere videtur apta vivendi ratio et curatio diaetetica, quae dispositionem causasque et remotas et proximas tollat.

Singularem medici attentionem non raro vehementia haemorrhagiae, febris concomitans, rarius maculae ipsae postulant, et indicationem symptomaticam sistunt. Ubi enim tanta sanguinis copia mittitur, ut major virium prostratio inde oriatur, certe remediis fortissimis opus est: praebeantur tum acida fortiora, Aluminis praeparata, salia Martis et alia styptica fortissima, per os et anum applicanda; parentur fomentationes frigidissimae cum aqua glacialicum aceto, aliisque; neve methodus derivatoria negligatur. Febris si putridam induit indolem, curatio antiseptica instituatur; maculae si in ulcera abeundi ostendunt proclivitatem, fomentationibus acidulis, aethereis, ad-

stringentibus tegantur, atque ulcerum formationi quam maxime erpugnetur, quum imminutae vires facillime prorsus iis frangantur.

Haec remedia etiam rejecto morbi impetu longius per tempus continuentur, ut morbi indole magis magisque sublata novum ejus insultum plane arceamus.

VITA.

Natus sum ego Franciscus Fridericus Koerte die XVI mensis Januarii anni MDCCCXVIII. Ascaniae, patre Christiano Koerte, matre Helena e gente Bode, quos vivos Deus Optimus Maximus huc usque mihi servavit ac diu conservet! Fidei addictus evangelicae, primis litterarum elementis imbutus sum in Gymnasio urbis patriae usque ad annum decimum quartum; tum Almam petii Portam, quae sub auspiciis Kirchneri floret, ibique scholas per annos quatuor et dimidium frequentavi. Maturitatis testimonio instructus tempore autumnali A. MDCCCXXXVII civibus Universitatis Marburgensis ab Ill. Hermann prorectore magnifico adscriptus ordini medico nomen dedi. Per tria semestria hasce ibi virorum illustrissimorum et celeberrimorum frequentavi lectiones:

Cel. Kramer de logice et metaphysice, Ill. Fick de encyclopaedia, methodologia et historia medicinae, de osteologia et anatomia pathologica; Ill. Herold de zoologia; Ill. Wurzer de chemia; Ill. Gerling de physice; Ill. Buenger de anatomia generali et speciali; Cel. Kuerschner de physiologia; Ill. Heusinger de pathologia generali et diaetetice. In arte cadavera dissecandi mihi duces fuerunt Ill. Ill. Buenger et Fick.

Tempore vernali anni MDCCCXXXIX hanc Almam Berolinensem Fridericam Guilelmam petii, et a rectore magnifico Ill. Muellero civium academicorum numero, ab Ill. Schultz, t. t. ordinis medici-decano spectabili medicinae studiosis adscriptus sum. Per quinque semestria scholis, quae sequuntur, interfui:

Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Kunth de botanice; Ill. Mueller de anatomia comparata et de historia generationis: Exper. Mitscherlich de materia medica; Exper. Isensee de anthropologia; Ill. Casper de pathologia et therapia speciali; Beat. Rust de chirurgia; Cel. Romberg de diagnosi morborum; Ill. Busch de arte obstetricia theoretica et practica. In arte fascias imponendi mihi dux fuit Exper. Troschel, in operationibus ophthalmiatricis Exper. Angelstein.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum Beat. de Graefe, Ill. Busch, Ill. Schoenlein, Cel. Treuestedt, Ill. Juengken, Cel. Wolff.

Ex mense Septembri anni superioris, ut rei publicae legibus satisfaciam, chirurgi militaris voluntarii fungor officio duce Exper. Dr. Bieske.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias habeo atque habebo quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I. Purpura ad exanthemata non pertinet.

II. Cephalotripsia perforationi praeferenda.

III. Nulla suppuratio sine inflammatione.

IV. Cancer cultro non sanatur.

V. Poetarum sententiae

Ἄριστόν μεν ὕδωρ (Pindar.)

et — sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero.

optime conjungi possunt. (Horat.)

VI. Osteochondrophyta non est carcinoma ossium.